



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Formula facultatis, qua permittitur Ecclesiasticum hominem habitare in
ædibus laicalibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

Nec item victus ac vestitus procuracionem, ac illorum dispensationem exerceas.

Diebus festis, pueros ad diuina officia, ad verbi Dei Conciones, & Doctrinae Christianae scholas adduces.

Tu vero ipse iisdem diebus superpelliceo indutus, in Ecclesia S. N. Missae Conuentali, & Vesperis intereris; mensualibus item Congrega. Processionibus, & reliquis huiusmodi, quibus Clerus interesse debet, & tu interesse ne omittas.

Has autem nostras literas diutius tibi suffragari nolumus, quam per sex menses; quo tempore confecto, ne audeas sine noua confirmatione docendi artem exercere, sub pena suspensionis ipso facto incurrenda, quam scito nullo pacto impetraturum, nisi testimonio Praefecti tuae regionis constiterit, supradicta capita diligenter te executum esse. Dat.

Formula facultatis, qua permittitur clericum nondum initiatum missae sacro diuinisq; officijs inseruire.

Carolus &c. Tibi N. qui habitum clericalem deferendi licentiam obtinens, Superpelliceo decenter induto, vt in Ecclesia S. N. Sacerdoti celebranti, & sacramenta ad ministranti, vsque ad proxima stata sacrae ordinationis . . . tempora inseruire possis, his nostris permittimus. Dat.

Formula facultatis, qua permittitur puerum laicum ob defectum clerici Missae sacro alijsq; diuinis officijs inseruire.

Carolus &c. Tibi N. laico, & de legitimo matrimonio procreato, Veste talari, & superpelliceo decenter induto, vt in Ecclesia S. N. attenda eiusdem Ecclesiae & Parochianorum paupertate, necnon ministrorum Ecclesiasticorum qui ibi inseruiant, penuria, Diuinis officijs, & Sacerdoti celebranti, Sacramentaque ministranti, ad menses . . . inseruire possis, his nostris literis permittimus. Dat.

Formula facultatis, qua permittitur ecclesiasticum hominem vitae sustentandae causa domi habere mulierem senescentem.

Carolus &c. Tibi N. ob vitae sustentandae curam N. mulierem, aetate annorum . . . domi habere licere, his literis concedimus, quas per annum tantum tibi suffragari volumus. Datum. &c.

Formula facultatis, qua permittitur ecclesiasticum hominem habitare in aedibus laicalibus.

Carolus &c. Cognitis causis quas exposuisti, tibi N. his nostris literis permittimus & concedimus, vt in aedibus laicalibus N. laici hominis, etiam si in illis mulieres sint, per . . . habites. Dat.

Formula attestationis Natalium, morum, & professionis fidei.

Carolus &c. Vniuersis & singulis praesentes literas inspecturis, lectoris, & auditoris, salutem in Domino sempiternam. Ad habendam de fide, moribus, doctrina, aetate, & natalibus certam scientiam Ven. viri D. N. Clerici Mediolanensis, pro parte illius requisiti fuimus, vt expetitam super his inquisitionem facere dignaremur. Nos huiusmodi honestae requisitioni annuere volentes, prouidos viros, multum RR. DD. N. N. & N. quorum fidem, religionem, & animi integritatem probatam habemus, seorsum super vita, moribus, aetate, religione, & natalibus praemissis, medio iuramento examinandos coram nobis duximus; & deinde collectis singulorum depositionibus, comperimus praef. D. N. esse aetatis circiter 30. ann. clericali caractere rite insignitum, legitimis natalibus ortum, honestis moribus praeditum, nec vlla prorsus haereticis labe pollutum, sed in communione fidelium, qui sanctam catholicam & apostolicam Romanam Ecclesiam profitentur, constanter vixisse, & viuere; eumq; in philosophia, & utroq; iure in celeberrimis Academicis laurea